BARTHOLMES

DE BERNARDINO TELESIO

N 28

DE

BERNARDINO TELESIO.

DE

BERNARDINO TELESIO

SCRIBEBAT

CHRISTIANUS BARTHOLMES,

ACADEMM. REGG. BEROLIN., TAURIN., SODALIS.

De Telesio autem bene sentimus, atque eum ut amantem veritatis, et scientiis utilem, et non nullorum placitorum emendatorem, et novorum hominum primum agnoscimus.
BACO VERULAMIUS.

PARISIIS,

TYPIS MARCI DUCLOUX, VIA SANCTI BENEDICTI, 7.

MDCCCXLIX.

VIRO CLARISSIMO,

ÆTATIS NOSTRÆ ET LUMINI ET DECORI,

ALEXANDRO DE HUMBOLDT,

HOC OPUSCULUM

D. D. D.

DE

BERNARDINO TELESIO.

I. VITA.

Consentia, Telesii patria, urbs primaria Calabriæ citerioris, quum antiquitate nobilis est, tum quod plurimos viros generavit doctrina et ingenio illustres, jamque ipso ævi, quod medium dicimus, flore claros[1].

Ipsa Telesiorum[2] stirps, antiquitate et nobilitate conspicua, complures litteratissimos homines genuit. Horum celeberrimi Antonius et is, cujus in rebus explorandis versabitur hic noster labor, Bernardinus.

[1] Vide SALV. SPIRITI, *Memorie degli Scrittori Cosentini*, Neapoli, 1750. 4°. imprimis p. 83—93; p. 39—42.

[2] Sunt qui *Tilesium*, aut *Thilesium* scribunt, aut *Thylesium*: sed perperam.

Ille, Antonium dico, Bernardini patruus, natus anno post Christum MCCCCLXXXII, oratorum et poetarum artem quum in aliis Italiæ academiis, tum Mediolani et Romæ professus est. Latini sermonis ita erat gnarus, ut quum latine loqueretur, patrio eum sermone uti diceres. Libri quoque, quos reliquit, præ cæteris carmina ornatissima et orationes venustissimæ, dicendi genere puro, eleganti, lepido commendantur[1]. Idem græcarum litterarum erat consultissimus et ad philosophiam quoque se applicaverat[2].

Bernardinus, vitam ingressus anno Christi MDVIII, jam primo ætatis tempore Mediolanum missus est, ubi Antonii et disciplina et exemplis uteretur. Tali duce puerum, qui suapte natura sciendi cupiditate flagraret, plurimum profecisse, mirum videbitur nemini. Adolescentulus, quo liberius et altius in doctrinarum arcana, ac præcipue in intimos Naturæ recessus penetraret, in monasterium S. Benedicti per plures annos se conclusit[3]. Deinde, ætatis anno

[1] « Si diede a divedere — per uno di quel, che vissero nei fortunato secolo di Augusto. Ad alcuni nondimeno, che non discernono i granchi dalle balene, è sembrato il suo stilo alquanto duro, e privo di melodia. Ma coloro, che han fior di senno, apertamente confessano, che i versi suoi per leggiadria di pensieri, per eleganza di metro, per purità di lingua, e per qualunque altra perfezione, che si ricerchi, possono gareggiar co' migliori, che in lingua latina si leggono. » SPIRITI, l. l. p. 40.

[2] Hujus rei fidem facit liber quem *de Coloribus* inscripsit. Vide TEISSIER, *Eloges des hommes savants*, T. III, p. 449.

[3] Vide PAULUM AQUINATEM, *Orat. funebr.*

decimo septimo, i. e., anno Christi MDXXV, Antonium, quum in Gymnasium Romanum vocatus esset, Mediolano Romam comitatus, occasionem nactus est menti nova vel uberiora pabula offerendi. Quæ clarissima urbs ita eum delectavit, ut ne tum quidem abire voluerit quum patruus Consentiam, ubi canonicus ecclesiæ Sancti Giberti electus fuerat, discessisset. Mox tamen eum pœnituit quod diutius Romæ commoratus esset. Anno enim Christi MDXXVII, mensis Maii die sexto, Caroli Quinti Imperatoris milites quibus princeps Borbonius præerat, urbe sacraque Pontificis Maximi sede capta, omnia ferro ac flammis vastantes, Bernardinum quamvis innoxium et prope omnibus ignotum, exspoliant, mulcant, denique in carcerem conjiciunt. Duo demum post menses, Consentinus quidam, Bernardinus Martiranus, vir ut doctus, ita fortis et animosus, qui quum duci Borbonio fuisset ab epistolis, deinde apud ipsum Cæsarem eodem munere functus est, impetravit ut popularis suus e vinculis emitteretur[1].

Quo iniquo casu quum effectum esset ut Romæ eum tæderet, inde proficisci properavit atque Patavium contendit. Hac in felice et antiquissima Musa-

[1] Vide Toppium, *Bibl. napol.* p. 46. El. de Amato, *Pantopolog. calabr.* p. 108.

rum arce strenuis studiis bonarum artium, philosophiæ maxime et mathematicorum, totum se addixit. Philosophiam tum magna cum laude docebat Hieronymus Amaltheus Opiterginus[1], doctor medicinæ, et non contemnendus poeta : is Telesio partem eam philosophiæ, quæ de moribus tractat, exposuit. Mathematica tamen, Frederico Delphino docente[2], majori Telesium affecerunt voluptate; tantaque industria et tanta cum felicitate ea excoluisse dicitur, ut jam tum opticam pluribus inventis locupletaverit[3]. Quid, quod eodem enim tempore videtur ab Aristotelis, tantum non ubique et Patavii maxime regnantis, doctrina in physicis discessisse? Utrum autem ad rem periculi tam plenam magistro aliquo, an suis ipsius meditationibus impulsus sit, nescimus[4]. Illud certum est, consilium eum cepisse, Scholæ ratione placitisque repudiatis, novam et propriam naturæ observandæ atque cognoscendarum causarum viam indagandi. Quum autem Romæ felicius quam alibi consilium suum exsecuturus sibi videretur, deposita memoria vinculorum, quibus per duos menses constrictus fuerat, simul ac docto-

[1] Vide Papadopolum, *hist. Gymn. Patav.* T. II, l. II, p. 228.
[2] Vide Papadopolum, l. l. T. I, p. 305.
[3] Imperialis, *Museo histor.* p. 78.
[4] Telesius enim existimabat *fieri non posse ut tot præstantissimi viri, tot nationes, atque adeo humanum genus universum, tot jam sæcula Aristotelem coluerit, in tot errantem tantisque.* « (De Rerum naturâ, præf.)

ris philosophiæ titulo et insignibus publice ornatus est, Patavio in urbem æternam rediit[1].

Ibi, amplissimum campum, in quo ingenium discendi cupidum excurreret, aperuerunt plures viri doctissimi, quibuscum Telesio domesticus fuit usus et consuetudo familiaris. Horum in numero fuerunt Ubaldinus Bandinelli et Joannes della Casa, uterque acerrima sagacitate præditus. Horum alter græcas litteras altius erat perscrutatus; alter, postremo ecclesiæ Beneventanæ præfectus, venustarum inventionum amatoribus multum et fortasse nimium celebratus erat[2]. Quibus nec parce, nec timide consiliorum suorum copiam fecit Telesius, quotidie suas de rebus physicis sententias proponens et explanans. Amicus uterque, hortator promptissimus et benevolus censor, addebat investigandi alacritatem, et voluntatem operis feliciter perficiendi firmabat. Sic accidit ut brevi omnibus qui Romæ, aut in litteris, aut in ecclesia, aliquod nomen haberent, esset notus. Ipse Pontifex Maximus, Paulus IV, adeo tanquam virum non minus pium quam eruditum diligebat, ut, quum cardinalis Gonsagha mortuus esset, archiepiscopi in patria Consentia dignitatem ultro offerret[3]. Munus hoc sanctum deprecatus est Telesius;

[1] PAPADOPOLI *histor. Gymnas. Patav.* T. II, p. 228.
[2] *Giornale de' Letterati d'Italia,* T. IV. art. VII.
[3] Vide THUANUM, *histor. sui temp.* ad ann. 1565.

nihilominus facillime impetravit, ut frater germanus Thomas in locum suum substitueretur.

Ipse, tantum aberat ut cœlibatus vinculis adstringi se pateretur, ut, paucos annos post, Consentiam reversus, Dianam Sersali, nobilissimam feminam, uxorem duceret. Ex ea filios sustulit tres, quorum duo cito fatis defuncti; ipsa quoque conjux immatura acerbaque morte prærepta. Diuturnus fuit Telesii luctus et maximus; sensim tamen levatus est studio philosophiæ, quod variis distentus negotiis diutius neglexerat. Simul, ut ruris otio nemorumque silentio animum reficeret, atque liber ab interpellatoribus in rerum naturam inquirere posset, rei familiaris onere filii superstitis humeris imposito, in prædium amœnissimum, prope Coracem fluvium situm, secessit. Dum in hac solitudine procul ab oppidi strepitu degit, primum pleraque philosophorum antiquorum monumenta diligentissime relegit; deinde quicquid ipse experiendo et meditando invenerat in memoriam revocatum disposuit. Nulli tamen rei acriorem curam navavit quam Aristotelis operibus excutiendis. Etenim hic scholasticorum velut dictator, nisi summa contentione impugnaretur, regno suo exturbari non poterat. Parmenidis contrà sententias aliquot, quum rerum naturæ et iis quæ contemplando invenerat ipse congruere crederet; his, tanquam fundamento uno omnium stabilissimo, doctrinam suam de physica inædificare

decrevit. Harum pertractationum ac meditationum fructus fuere libri duo, inscripti : *de Natura rerum, juxta propria principia.*

Sed hoc opus, quæ erat Telesii modestia et suarum virium diffidentia, in lucem proferre noluit, priusquam idoneos harum rerum judices adhibuisset. Retulit igitur ad amicos aliquot, in quibus veritatis amorem, nullo fuco illitum, inesse sciret. Ardentissime vero cupiebat assensionem Joannis Madii, acerrimi Stagiritæ defensoris, qui ut recti erat tenacissimus, ita in disserendo prudentissimus. Brixiam (ibi enim peripateticus ille habitabat) profectus, placita sua non solum litteris consignata tradidit, sed etiam præsenti sermone per plures dies explanavit; nec antequam Madium assentientem vidit, rursus in viam se dedit[1]. Simul, nihil jam, quo minus publici juris faceret inventa, obstare ratus, libros duos *de Natura rerum* Romam misit, ut prelo Antonii Bladi excuderentur. Hujus ex officina prodiere anno Christi MDLXV.

[1] « Madium Brixianum adire et consulere visum est, quem et in philosophia excellere videbamus, et cujus jam diu animi ingenuitas innotuerat, ut, si a præstantissimo viro cogitationes meæ non improbatæ forent, nequaquam supprimerentur illæ; sin minus, errores intuitus meos, quod reliquum vitæ esset, et ipse *Aristotelem* suspicerem venerarerque. Brixiam itaque ad Madium profectus, et itineris mei exposita ratione, nequaquam ille, quod multi fecerant, et quod facturum et illum minitati fuerant, inauditum rejecit; at summa diligentia, plures dies quibus apud ipsum fui, et summa cum animi tranquillitate et audiit, et perpendit omnia. Principia nihil improbavit. . . » Telesius, *de Rerum natura, præf.*

Animos addidit tentamen hoc. Itaque naturam observare perseveravit Telesius, ita tamen ut investigationes suas latius jam extenderet, et tantum non omnes physicorum partes complecteretur. Quum autem, quæ sic eruisset, litteris mandare soleret, nata sunt plurima commentariola, quorum nonnulla ab auctore ipso divulgata; alia, mortuo illo, ab Antonio Persio, qui familiariter cum eo vixerat, publico æstimantium arbitrio permissa.

Illud opus præcipuum ut primum editum fuit, in judiciis de eo ferendis apud Italos doctos nihil fuit medium. Alii enim laudibus ad cœlum ferre, alii infestissimo odio lacerare. Neapoli vero Gymnasii professores prope omnes, licet peripatetici, popularis sui ingenio, doctrina atque audacia adeo exultare et Aristotelis æmulo multiplicem dare plausum. Quem autem scriptis et fama noverant, ejus coram et videndi et audiendi cupiditate flagrabant. Itaque invitant, rogant omnibus precibus, ut secessu relicto, Neapolin transmigret, ibique juvenes doceat ac formet, et ipsius philosophiæ studium excitet. Adversatus his tam blandis et assiduis precibus satis diu, postremo concedendum arbitratus est. Vix autem cœperat sententias suas tunc admodum novas profiteri, quum eloquentia omnium in se oculos convertit. Nec mirum; summa enim Telesii facundia, summa vulgarium magistrorum infantia. Illa elegantia et concinnitate splendebat, argumenta

maxima cum perspicuitate proponebat, et moderato quodam calore, ex rerum in quibus tractandis versabatur amore nato, intepescebat. In dies igitur fautorum ac sectatorum numerus crescebat, et sic Telesio visum est societatem instituere quæ hoc unum ageret, ut in naturæ secreta inquireret et Aristotelis physica everteret. Hæc societas, cujus sodales in ædes ducis Nuceriæ, Ferdinandi Caraffæ, eximii litterarum patroni[1], convenire solebant, de

[1] Ut ostendamus qui fuerit Telesio cum Ferdinando Caraffa usus, petimus ut Epistolam, qua libros *de Rerum natura* dedicavit, hic apponere liceat.

« Commentarios de rerum natura, quos, ut probe nosti, Excellentissime Princeps, magnis laboribus, diuturnisque confeceram vigiliis, edendos tandem visum cum esset; sub tuis omnino auspiciis emittendos esse duximus: nam ut domi tuæ conscripti fuerant, et plurimis magnisque beneficiis, quæ in me contuleras, debebantur. Et amplius etiam, quod Aristotelis doctrinam, quam adeo Alexander excoluit veneratusque est, et quæ sub Alexandri patrocinio adeo floruit, tantoque habita fuit in honore, ut sensui, et sibi ipsi passim repugnantem eum damnemus; aliamque et longe ab illa diversam cum ponamus: non sub Regis cujuspiam auspiciis, qui imperii amplitudine Alexandro conferri posset, sed sub Herois præsidio emittendos esse duximus, qui nec ingenio, nec judicio, nec animi magnitudine, nec virtute omnino ulla ab Alexandro exsuperaretur; quin qui in multis illum exsuperaret. Et nostri temporis hominum unus tu talis Excellentissime Princeps non nobis modo, sed sanis hominibus visus es omnibus. Itaque nihil veriti quod opibus, potentiaque ab illo exsupereris; sub tuis omnino auspiciis emittendos esse decrevimus. Nostra siquidem doctrina quoniam nec sensui, nec sibi ipsi, nec sacris etiam litteris repugnat unquam; quin adeo his, et illi concors est, ut ex utrisque enata videri possit; quoniam omnino vera est: sese ut ab individuorum calumniis tueatur, et iis rejectis sese assidue effundat amplificetque, nullis Regum opibus, nullaque potentia, sed tua modò opus habet ope; qui sui animi bonis, quæ dicta sunt, nihil ab Alexandro exsuperaris, quin in illorum multis tu illum exsuperas. Nam ingenio judicioque te illo quam longissime præstantiorem esse, vel doctrina, quam uterque admittendam decrevit, manifestat. Quam nam ille amplexatus veneratusque est, et summis præmiis, summisque dignam existimavit honoribus, et sensibus, et sibi etiam ipsi, quin et Deo Opt. Max. passim repugnat.

conditoris nomine appellata est *Collegium Telesianum*. Ex patria autem sodalium plerorumque nomen fuit etiam *Academiæ Consentinæ*[1].

Brevi tamen invidia, quæ gloriæ comes esse solet, caput extulit livoris plenum et minarum. Vanitatis, arrogantiæ, ambitionis atque etiam avaritiæ incusavit hominum unum omnium modestissimum atque generosissimum, sapientem, simplicem, sui despicientem, semper alterius commodis inservientem,

Itaque soli calorem lucemque abnegat et Mundum nequaquam a Deo Opt. Max. constructum, sed veluti casu quodam enatum ponit. Et rerum humanarum administrationem, cognitionemque Deo demit omnem. Et non sensui modo, sed, ut nostris in commentariis apertissime ostensum est, sibi ipsi etiam passim dissentit adversaturque: ut existimare liceat, vel in præceptoris gratiam nihil ejus fundamentis, positionibusque inspectis examinatisque Alexandro admissam fuisse; vel quam longissime illum abesse, ut ingenio judiciove tibi conferri possit. Nam tu doctrinam nostram non statim, sed ibi tandem admittendam perdiscendamque esse duxisti, ubi sensui, et sibi ipsi universa, et sacræ etiam scripturæ bene concors visa est: ut ingenio judicioque multo te Alexandro præstantiorem esse necessario existimandum sit. Neque nam si quali tu ingenio judiciove donatus ille fuisset, et sensui, et sibi ipsi, et sacris divinis litteris passim dissentientem Aristotelis doctrinam admittendam duxisset unquam. . . . Et nequaquam (ut ille) DEOS tu colis ab hominibus effictos, multisque obnoxios vitiis; sed DEUM veneraris, cœli terræque conditorem, et qui unigeniti filii sui morte humanum genus servari substinuit, sanctissimaque ejus præcepta summa observas cum religione. . . . Age, commentarios nostros — libens suscipe. Et si Aristotelis voluminibus — nihil deteriores tibi visi sint, — rogamus ut non minore me prosequaris benevolentia, et (quod hactenus strenue fecisti) Peripateticorum injurias calumniasque repellas. . . . Hoc vero, ut præstes, percupimus, et summopere te rogamus. Vale, ô præsidium, et dulce decus meum.»

[1] « *Fù suo consiglio* (sc. Telesii) *agli Accademici di lasciare ogni altro sopranome e prender quello di Accademici Consentini.*» Gimma, *Idea della storia lett. d'Ital.* T. II, p. 478. Præterea Academia hæc, ut gratam sese præstaret erga archiepiscopum Consentinum, J. B. de Costanzo, qui summo eam studio tuitam erat, cognomen assumpsit Constantium, *I Costanti.*

veritati virtutique omnia postponentem. Plurimi igitur peripatetici, qui dicebantur, Telesii conatus ægerrime ferentes, totis viribus falsa illa crimina in vulgus disseminare connisi sunt. Agminis hujus antesignani erant cohors monachorum[1], qui eosdem conatus pessimam hæresin censerent, certe vocarent, et fidei christianorum et reipublicæ perniciosissimam. Tantus tamque continuus conviciorum calumniarumque concentus Telesio acerbissimum dolorem injecit, cui ferendo eo magis fuit impar, quod acceserant nescio quæ incommoda domestica[2]. Animi tristitia laborare cœpit, mox in febrim vehementem incidit, atræ bilis abundantia auctam. Quum igitur vitæ finem appropinquare animadvertisset, dulce censuit in patria mori, procul a maledictis infestisque altercationibus. Jam gravissime ægrotans a filio Consentiam devectus, cœlo natali vires aliquantulum reficiente, per octodecim fere menses post reditum in patriam vitam traxit. Tandem, post diuturnum torporem quo

[1] Vide Papadopoli *historiam Gymnas. Patavini,* T. II, l. II, p. 261. Cardinalis Farnesius de nova illa philosophia querentibus solebat respondere : *Mentre il Telesio è lontano, ognuno gracchia; quand' egli è presente, ognuno ammutisce.*

[2] De seipso loquens : « Quibus, inquit, non nisi extremum vitæ spatium philosophari licuit, minimeque id molestiis, curisque vacuis, sed inaudito eorum scelere atque immanitate, a quibus maxime amari nos colique et foveri oportebat, maxime in summas difficultates, summasque conjectis in molestias. » (*de Rerum natura,* p. 28, ed. Neap.)

mens videbatur a corpore abstracta, mortem obiit, prope octogenarius, anno post Christum natum MDLXXXVIII. Conditus est, ut ipse voluerat, in sepulcro Thomæ, antistitis Consentini, fratris eximia pietate dilecti. Locus autem, ubi exstructus fuerat tumulus ille, a gratis civibus, ut egregii viri nunquam deleretur memoria, pulcherrime exornatus est; ac per longum temporis spatium Consentinos illuc deambulando confluere atque hospites deducere juvabat.

Nemo mirabitur, quod apud bonos doctosque magna fuerit Telesii fama. Etenim vir erat consilii magni et animi generosissimi, egregie cordatus, prudens æque ac solers et strenuus, philosophiæ tam ejus quæ de moribus agit, quam alterius illius quæ rerum causas indagat, peritissimus, non minus in litteris, quas elegantiores vocamus, quam in reconditioribus plurimum versatus, et non modo multiplici doctrinæ copia instructus, sed etiam judicio limato et subacto[1] suæ ætatis hominibus superior eminebat. Sensu enim sano, acri, circumspecto florebat inter sapientes sæculi decimi sexti; et hac maxime virtute cernitur indolis Telesii natura. Quod si ipse pro certo dicere videtur ingenium

[1] Quæ erat sententia non Jordani Bruni Nolani tantum, sed ipsorum etiam Telesii inimicorum. *Il giudiziosissimo Telesio*, ait Nolanus (*Della causa, principio ed uno*, dial. III, Cfr. ejusdem librum *de Monade*, p. 70).

suum esse crassius[1], nihil inde colligi posse præter viri modestiam ac simplicitatem, quis est quin videat? Æquales quidem mentis sermonisque leporem admirabantur, et gravitatem mirifica quadam humanitate temperatam amabant.

[1] *De Rerum naturâ*, l. I, c. XVII. « *Nobis, ut ingenuè fateamur, crassiore ingenio donatis.* »

II. PLACITA.

Telesius id potius agebat ut meditando et investigando prodesset, quam ut oratiunculas conderet. Nihilominus, præter nonnullos minores libros, ingenii monumentum reliquit, in quo suo exemplo ostendit, quali oratione uti debeant philosophi. Ipse enim plane, concinne et cum sobrietate quadam, illo tempore rarissima, scribebat[1].

In enumerandis Telesii scriptis, si temporum rationem sequi voluerimus, hunc inveniemus ordinem.

Vivo auctore, typis descripta sunt :

Anno MDLXV, *De Naturâ rerum juxta propria*

[1] « Telesius in scribendo stilum vere philosophicum solus servat, juxta rerum naturam sermones significanter condens, facitque hominem potiùs sapientem quam loquacem. Quæ scire desperat, ingenuè confitetur, aliorumque opiniones juste examinat fideliterque proponit. » CAMPANELLA, *de rectâ studior. ratione*, c. IV.

principia libri duo, Romæ, apud Antonium Bladum, in-4°.

Anno MDLXX, *De Rerum naturâ juxta propria principia liber primus et secundus*, denuo editi, Neapoli apud Josephum Cacchium, in-4°.

De his quæ in ære fiunt, et de terræ motibus liber unicus, Neapoli, apud J. Cacchium, in-4°.

De mari liber unicus, ibidem apud eumdem, in-4°.

De colorum generatione opusculum, ibidem apud eumdem, in-4°.

Anno MDLXXXVI, *De Rerum naturâ juxta propria principia libri novem*, ad ill. et excell. D. Ferdin. Caraffam, Nuceriæ ducem, Neapoli apud Horatium Salvianum, in-folio.

Mortuo Telesio, octo opuscula ab amicissimo Antonio Persio collecta et in publicum emissa sunt, hoc instructa indice :

Bernardini Telesii, Consentini, varii de Naturalibus rebus libelli, ab Antonio Persio editi, quorum alii nunquam antea excusi, alii meliores facti prodeunt. Venetiis, apud Felicem Valgrisium, MDXC, in-4°[1].

[1] En singulorum inscriptiones : I. De cometis et lacteo circulo. II. De his quæ in ære fiunt. III. De iride. IV. De mari. V. Quod animal universum ab unica animæ substantia gubernetur. VI. De usu respirationis. VII. De coloribus. VIII. De somno. — Opusculum *de Mari*, viginti ante annos editum, aliquot capitibus auctum est. Opusculum autem *de Coloribus* prodiit non solum verbis, sed etiam sententiis mutatum. In omnibus impugnatur Aristoteles, excepta tamen commentatione omnium longissima, quæ inscripta est : *Quod animal universum ab unica animæ substantia gubernetur*. Hac enim Galenum confutare studet, cunctas animalis operationes ab una ca-

Non modo Neapoli atque Venetiis, sed etiam cis Alpes, Telesii scripta typis propagata ac multiplicata. Anno ipso quo Consentinus fatis defunctus est, Genevæ, urbe Italis exulibus valde cara, libri novem *de Rerum naturâ*, cum duobus aliis philosophorum Italorum operibus, Philippi Mocenici Veneti et Andreæ Cæsalpini Aretini, iterum, sed splendidius editi sunt[1].

Verumtamen in Italia, sæculo decimo sexto exeunte, dissimilia fuerunt eorumdem librorum fata. Nam anno MDXCVI, quamvis cum privilegio regio editi essent, simul cum aliis duobus *de Somno* et *Quod animal universum etc.*, Clementis Octavi, P. M., apud quem Cæsalpinus et Patritius multum tamen poterant, jussu, sed peripateticorum et galenistarum suasu ac rogatu, Indici expurgatorio quem vocant inscripti; et, *donec expurgarentur*, omnibus, quominus legerent, interdictum est.

Si quis horum operum præcipui nihil nisi titulum inspexerit, ibique hæc verba legerit, *juxta propria principia*, vix facere poterit quin novatorem censeat Telesium. Minus tamen novator fuit ille

demque anima proficisci defendens. De *febribus* quoque scripsisse dicitur Telesius, itemque commentarium italicum *di quel folgore che caddi in forma di ferro in Castrovillari gli anni addietro.*

[1] Apud Eustathium Vignonem, Atrebatensem, in-folio. Mocenici liber inscriptus est *Universalium Institutionum ad hominum perfectionem, quatenus industria parari potest, Contemplationes quinque*; Cæsalpini autem, *Quæstionum Peripateticarum libri quinque.*

quam instaurator. Parmenidis enim principia, data opera, in vitam revocavit; rationem vero qua in philosophando usus est, inscius ab ipso Aristotele mutuatus est: ita ut magis diruendo inclaruerit quam ædificando.

In oppugnando Stagirita, hoc maxime urgebat argumentum : Præpropere illum doctrinæ suæ rationem conglutinasse atque fundamenti loco principia supposuisse, a rerum omnium quotquot sunt materia remota et ex solo intellectu hausta; sic accidisse, ut ratio illa, et humanæ experientiæ, et doctrinæ a Deo nobis impertitæ, adversetur.

« Qui ante nos Mundi hujus constructionem [1], rerumque in eo contentarum naturam perscrutati sunt, diuturnis quidem vigiliis, magnisque illam indagasse laboribus, at nequaquam inspexisse videntur : quid enim iis illa innotuisse videri queat, quorum sermones omnes, et rebus, et sibi etiam ipsis dissentiant, adversique sint ? Id vero propterea iis evenisse existimare licet, quod nimis fortè sibi ipsis confisi, nequaquàm (quod oportebat) res ipsas, earumque vires intuiti, eam rebus magnitudinem, ingeniumque et facultates, quibus donatæ videntur, indidere. Sed veluti cum Deo de sapientia contendentes, decertantesque, Mundi ipsius principia et causas ratione inquirere ausi, et quæ non inve-

[1] Vide *de Rerum natura*, proœmium (ed. 1586).

nerant inventa ea sibi esse existimantes, volentesque veluti suo arbitratu Mundum effinxere. Itaque corporibus, e quibus constare is videtur, nec magnitudinem positionemque, quam sortita apparent, nec dignitatem, viresque quibus præditæ videntur, sed quibus donari oportere propria ratio dictavit, largiti sunt. Non scilicet eo usque sibi homines placere, et eo usque animo efferri oportebat, ut veluti naturæ præeuntes, et Dei ipsius non sapientiam modo, sed potentiam etiam affectantes, ea ipsi rebus darent, quæ rebus inesse intuiti non forent, et quæ ab ipsis omnino habenda erant rebus. Nos non adeo nobis confisi, et tardiore ingenio, et animo donati remissiore, et humanæ omnino sapientiæ amatores, cultoresque (quæ quidem vel ad summum pervenisse videri debet, si quæ sensus patefecerit, et quæ e rerum sensu perceptarum similitudine haberi possunt, inspexerit). Mundum ipsum, et singulas ejus partes, et partium, rerumque in eo contentarum passiones, actiones, operationes et species intueri proposuimus. Illæ enim recte perspectæ, propriam singulæ magnitudinem; hæ vero ingenium viresque et naturam manifestabunt. Ut si nihil divinum, nihil admiratione dignum, nihil etiam valde acutum nostris inesse visum fuerit; at nihil ea tamen vel rebus, vel sibi ipsis repugnent unquam; sensum videlicet nos, et

naturam, aliud prætcrea nihil sequuti sumus, quæ perpetuo sibi concors, idem semper et eodem agit modo, atque idem semper operatur. Nec tamen (si quid eorum, quæ nobis posita sunt, sacris litteris, Catholicæ Ecclesiæ decretis non cohæreat) tenendum id, quin penitùs rejiciendum asseveramus contendimusque. Neque enim humana modo ratio quævis, sed ipse etiam sensus illis posthabendus, et si illis non congruat, abnegandus omnino et ipse etiam et sensus. » Ita quidem Telesius.

Nec dubium est quin, multo modestior ac prudentior adversariis suis, quæstiones non definitas et inanes fugerit, atque accuratam et rebus ipsis congruentem scientiam quæsiverit. Nihilo tamen minus ipse videtur moræ impatiens et in ratiocinando præceps fuisse, quippe qui primo sensuum impetu partes aliquot rerum amplexus esset illorumque imperio se permitteret; quasi ratio sola, quum a sensibus se quam longissime revocet, nos in errorem inducat solaque mentiatur. Ita dum sibi ipse persuadet, nihil se nisi naturæ vestigia premere, sententias nulli rei nisi conjecturis innixas comprobat, atque iis quæ sensibus percipiuntur sæpius contrarias. Itaque eodem prope, quo adversarii modo, peccat etiam Telesius.

Perpauca dixit de Deo, plura de Homine, plurima de Mundo. Quamobrem placita ejus duo in capita

dispertire expedit, alterum de Mundo, alterum de Homine[1]. Quæ dum exponemus, quam diligentissime id studebimus, ut non modo cogitata Telesii quam fidelissime reddamus, sed ne a verbis quidem, quibus usus est ille, recedamus.

I. DE MUNDO.

A.

Tria omnino rerum omnium principia ponenda sunt: naturæ duæ agentes et incorporeæ, calor et frigus[2]; tum moles corporea una, æque ambabus

[1] Rixner quoque et Siber (*Leben und Lehrmeinungen berühmter Physiker*, fasciculo III, 1820, pag. 19—292) Telesii sententias in duas partes distribuunt: A) Physiologiam generalem, id est, eam quæ de rerum omnium natura tractat; B) Physiologiam specialem, id est, eam quæ pertinet ad animalium plantarumque naturam. Liber hic, ut germanico sermone, ita sedulitate vere germanica, summam exhibet operis Telesiani. Nos diligenter eum consuluimus, prope non minus sæpe evolventes quam Ipsius Consentini libros.

[2] Constat Parmenidem, Eleaticæ scholæ principem, duas causas, vel duo principia, calorem et frigus, sive ignem et terram posuisse (Θερμὸν καὶ ψυχρὸν, οἷον πῦρ καὶ γῆν λέγων. ARISTOTEL. *metaphys.* I, 5.). Alias Eleaticæ doctrinæ partes, e. gr., eam quæ de rationis et sensuum discrepantia agit, neglexit Telesius. Cf. PLUTARCHUM, *de primo frigido*.

illis propria et congruens, quæ æque calore repandi et amplificari, ac frigore densari et constringi, et possit et gaudeat.

Calor natura sua mobilis, usque molem quamlibet subiit, laxat, extenuat, et efficit ut moveri queat.

Frigus contra, natura sua immobile, perpetuo id unum agere videtur, ut molem quam subit, constringat, denset et gravitatem indat.

A calore factus est sol, item reliquæ stellæ omnes, cœlumque universum.

Frigore constituta terra, et quæcunque illi inditæ sint facultates et species.

Moles corporea, sive materia, nulla prorsus agendi seseque generandi facultate prædita, assidue a calore in summam tenuitatem et pene in non-ens agitur; a frigore autem cogitur atque densatur semper: itaque mundi magnitudo nec augeri, nec minui uspiam potest. Contra calori frigorique, non tantum contrariæ agendi operandique vires, sed etiam facultas appetitusque tributa, sese assidue tum multiplicandi atque generandi, tum se amplificandi ac quaquaversus effundendi, molemque totam occupandi; quin etiam se mutue oppugnandi et expellendi invicemque se sibi substituendi.

Calor et frigus mutuo se oppugnantes cœlum et terram generavere, omniaque entia generant, et vel conservant vel immutant,

Calor unicuique rei tenuitatem, candorem et mobilitatem suam indit, et denique in mobiles vapores resolvit, quin in ipsum ignem, qui ejusdem cum sole et universo cœlo est naturæ.

Contra dubitandum non est quin ipsa quoque terra frigore potissimum eam rigiditatem et gravitatem atque duritiam nacta sit, ut nullam unquam in partem inclinetur, propriæque sedi perpetuo immobilis inhæreat, speciei visibilis non expers, at lucis, ideoque nigra.

Calor motum tempore, natura et dignitate antecedit; motus caloris est operatio; nullusque novus calor a motu rebus inditur, sed præinexistens excitatur.

Materiæ dispositiones non mollitie et duritie, sed tantum expansionis constrictionisque diversitate expendendæ sunt. Lentor, mollities, viscositas, fluor, vapor insignes sunt immutationes crassitiei ad tenuitatem progredientis.

Omnia a Deo creata, constituta autem, aut calore, aut frigore, atque varia consistentia et dispositione prædita, et in diversas species distributa, continentur spatio. Spatium locus est a contentorum corporum mole diversus; aut repletum videtur, aut inane.

Omnia temporis decursu, aut calore, aut frigore, mutantur : motus enim et mutationes tempore solo

dignoscuntur. Tempus ergo numerus quidam est, sive duratio qua fit motus quisque.

B.

Sicut prima mundi corpora, cœlum et terra, illud a summo integroque calore, hæc a summo integroque frigore, constituta; ita singula entia quæ plantæ vocantur et animalia, non e terrà à sole, sed e propriis seminibus et a seipsis generantur. Nec, ut alia, unum agere, nec unum sentire pative, nec operari videntur unum; ut eorum, nec generatio, nec ingenium facile inspici possit.

Plantarum porro atque animalium constitutionem noscimus, et quum partes corporis inspicimus, et multo magis quum inquirimus qualis sit anima quæ utrisque inest. Anima enim id est quod corpus universum gubernat atque in animali sentit.

Quod si spiritus e semine eductus, rebus e semine confectis inexistens, reliquis in animalibus animæ substantia visus est; nequaquam tamen propterea etiam in hominibus, humanæque animæ substantia existimandus est. Humanam animam prorsus divinam et ab ipso Creatore immissam, non sacræ tan-

tum litteræ nos docent, sed etiam rationibus nostræ mentis modum virium non excedentibus, intelligere licet. Nam quædam seorsum a reliquis animalibus operari, patique et appetere homines videntur, quæ sublimiori omnino substantiæ, quam qualis spiritus e semine eductus videri potest, tribuenda sint. Anima a Deo in singulos homines immissa, et corporis universi forma, et incorporea immortalisque est.

Animal non apparet similare ens, sicut lapides metallaque, sed e plurimis compositum rebus; nec vero ex iis modo quæ manifesta sunt, e carnoso, nervoso et osseo genere; sed ex alia quadam substantia, quæ, quod pertenuis nervosiquegeneris est, sensum omnem latet.

Anima illa, e semine educta, nec una universi animalis corporis, non vero diversæ illius portiones; diversarum hujus partium forma est.

Quum in externis, tum in internis corporis partibus animal sentit. Sensus autem hic dilatatione et constrictione, id est, motu animæ fit.

Sentiens anima spiritus est nervoso generi inexistens. Nervosum genus ita constructum est universum, ut quæ in singulis ejus portionibus percipienda essent, et revera in iis percipiuntur, optime percipi possent omnia. Princeps spiritus portio ejusque veluti universitas in cerebri ventriculis locanda.

Spiritus portiones omnes moventur arbitrio universitatis, et ab ipsa omnino universitate.

C.

Albæ exsanguesque animalis partes prius quam sanguineæ efformantur; et illæ e masculino femineoque semine, hæ ex femineo sanguine ab uteri calore immutato constituuntur.

Spiritus nervoso generi indendus, carnosum huic circumponendum, huic porro venæ arteriæque intertexendæ, eæ sanguine replendæ, postremo omnibus osseum genus subjiciendum.

Spiritus venarum fibris inexistens sanguinem in illas attrahit omnes, et in res agit e quibus, ut ipse, ita et carnosum et nervosum et osseum genus reficitur foveturque.

Sanguis ad cor delatus et ibi magis concoctus, et in easdem res in quas in venis agi visus est, in arteriis quoque actus, eosdem præstat usus; et præterea spiritus universitatem in cerebri ventriculis inhabitantem reficit.

Infantilem ob vigorem animal augetur; non æque

dum augetur; senilem ob languorem imminuitur. Eadem tamen partium singularium, itaque etiam animalis universi remanet forma.

Quæ constituta sunt animalia, optime sunt constituta omnia; quæ autem materiæ necessitate eveniunt, ob melius aliquid videntur facta.

D.

Plantis, sicut animalibus, anima inest; haud innata quidem, sed a partium distinctarum compositione generata; nec toti plantæ substantiæ inhærens; sed tegumento fibrisque propria. Anima plantarum paulo crassior quam quæ animalibus inest.

Terra et calor causæ sunt et conditiones constitutionis, incrementi ac conservationis plantarum.

II. DE HOMINE.

A.

Animal ex anima et corpore constat ita inter se copulatis, ut distincta esse pergant. Quantum pertinet ad animam e semine eductam, spiritus corpori, ut proprio organo, inclusus est. In homine peculiariter, spiritus passiones operationesque aperiendæ sunt : id est, id quo rerum, quæ in spiritum agunt, speciem, naturam et motus percipit,—id quod *sentire* dicitur; tum id, quo earum, quæ spiritui innotuere, ignota elementa percipit,— id quod *intelligere* dicitur; postremo, id quo ab iis quæ sentit et intelligit cupiditatibus odiisve, et aliis hujusmodi affectibus, ad bonas pravasve commovetur actiones.

Præsentes modo et vigentes, caloris modo et frigoris, vires percipit spiritus. Rerum porro quæ in spiritum agunt, naturam ejus oppugnantes dispositionemque immutantes, atque ad novos eum agentes motus, sensus est nobis. Is utique aut illarum actio, aut spiritus passio, aut illarum harumque perceptio

sit oportet. Insuper summa in rerum sensu voluptate, aut molestia afficitur spiritus : aut voluptas, aut dolor spiritum comitatur sentientem.

Tactus, gustus, odoratus, visus, auditus diversæ sunt facultates, ac propriis singulæ vocibus appellandæ; attamen omnes, auditu excepto, facultates sunt tactus. Percipere, sive sentire, nihil aliud est quam contingere aut contingi. Unus sonus, id est, aër commotus ad spiritum non defertur, cumque non contingit, sed impellit.

Tactu vivas agentium naturarum vires sentit spiritus, dispositionem, levitatem, asperitatem, gravitatem, conspissationem omnium earum rerum quæ spiritui cedunt aut resistunt.

Lingua ciborum percipit naturam omniaque saporum genera, humiditatem et siccitatem, dulce et amarum. Olfactu novimus res eas quæ amplificant sese et effundunt, aërem, calorem, atque dispositionem virium quæ rebus odorabilibus insunt.

Oculis colorum genus et lucis ingenium, actionem et passionem percipimus. Lux autem quævis et ubivis facta, non a sole modo, sed a se ipsa quibusvis in rebus facta, e quovis sui ipsius puncto quaquaversus sese effundit et coloribus, quos attingit, coloratur omnibus. Una luce conspecta, rerum omnium colores imaginesque spectari possunt. Corneæ portio quæ pupillæ superposita est, oculoque inexistentes humores luci pervii sunt omnes.

Auditus externo aëre commoto fit.

Soni omnino omnes aëris motus sunt, horumque perceptio sonorum est auditus. Animalium itidem voces aëris sunt motus, earumque differentiæ omnes secundum diversam exspirati aëris tenuitatem, arteriarumque per quas exspiratur dispositionem, magnitudinem, et expirantis animæ voluntatem viresque, fiunt. Veluti oculi rerum coloratarum motus, mansiones, numeros, figuras, situs et magnitudines intuentur; ita aures sonorum percipiunt quantitates et distantias.

B.

Res porro omnes propterea percipiet spiritus, quod ipse ab omnibus patitur commoveturque, earum similitudines percipit et dissimilitudines. Quæ enim idem in ipsum agunt, et a quibus idem ipse patitur, ut unum ea omnia atque ut idem percipit; ut diversa autem, quæ diversa agunt, et a quibus patitur diversa. Quæ similia in multis sentit spiritus, ab iis seorsum quæ in iisdem diversa percipit, in unum ea colligit connectitque, et unum esse ea omnia statuit; et quæ diversa, aut ente in uno sen-

tit, ut diversa sentit diversaque statuit; et quæ in similibus entibus inesse aut evenisse sentit, communi illorum naturæ tribuit ea omnia. Quæ vis *intellectur* vocatur, sive *ratio*.

Spiritus, quæ sentit, imaginatur, meminit et reminiscitur. Conditiones occultas rerum, conditionem intuens manifestam, spiritus existimare, inducere vel deducere, potest.

Doctrinarum omnium, et ipsius geometriæ principia, a sensu petenda, vel proxima eorum, quæ sensu percepta sunt, similitudine : ex iis pendent conclusiones omnes.

Conclusiones physicæ mathematicis eo præstant, quod hæ a signo omnes, illæ a propriis causis propriisque manant principiis.

Cognitio diversa videtur quod diversa comparatur similitudine. Nihilominus sentiens substantia imaginanti et ratiocinanti eadem; non propria enim vi, sed sensus ope intelligit ratio.

Substantia, quæ sentit, in homine ratiocinatur; animalia reliqua ratiocinationis non prorsus expertia sunt.

Substantia, quæ ratiocinatur in homine, non una simplexque, sed anima a Deo creata, et spiritu e semine educto composita; et facultas ignotas rerum conditiones ex earum similitudine, quæ in ente penitus noto conspectæ sunt, cognoscendi, non est

appellanda ratiocinandi intelligendique, sed potius existimandi vel commemorandi.

Spiritus inter se calore, tenuitate et puritate differunt, item nitore. Qui moderato calore, moderataque tenuitate donatus est spiritus, is promptus et ad intelligendum aptus; qui purus est et splendidus, is exquisite distincteque intelligit.

Spiritus inter se etiam copia, tum capitis quoque, ventriculorumque quibus continetur, magnitudine ac figura differunt. Denique differunt motibus, bonitate vel pravitate, virtutibus vel vitiis.

C.

Sed non solum sentit et intelligit spritus, afficitur etiam passionibus, et ad operationes operandas commovetur. Passiones, aut appetitiones aut aversiones, fontes sunt operationum humanarum.

Primum spiritus, ut proprium summumque bonum, sui ipsius conservationem appetit; reliqua, quæ appetit bona, illius omnino gratia appetit omnia.

Spiritus conservatio mensura est affectuum, operationumque quæ secundum affectus operatur. Virtu-

tes spiritus facultates sunt quæ eousque afficiuntur et operantur, quousque ut conservetur spiritus affici eas et operari oportet : vitia contra hunc modum aut excedunt aut infra eum subsistunt. Virtutum numerum ut inveniamus, numerandæ facultates quæ afficiuntur et operantur.

Sapiens is est qui rerum omnium naturam et vires inspexit. Solertia, liberalitas, sobrietas, castitas, fortitudo, justitia, veritas, beneficentia, gratus animus, æqualitas, mansuetudo, hilaritas, benignitas, æmulatio, sublimitas, variæ sunt species sapientiæ.

Entis cujusvis conditio perfecta entis virtus ponenda. Entium virtus eorum puritas est; itaque animæ virtutes natura insunt.

Hæc sunt lineamenta rationis Telesianæ. Opus artificiosum, solerti sagacique animo excogitatum, sed quod tamen nullo prorsus pacto veram se esse persuadere nobis queat. Ex factis quidem naturalibus compertisque videtur manare, qualia ea sunt quæ pertinent ad caloris frigorisque effectus. At quo tandem jure effectus illos illasque proprietates

principia et primigenias causas, aut incorporeas substantias statuit et proponit? Quo jure calori absoluto puroque et summo frigori sedes assignat peculiares? Quo denique jure, ut omnia generentur et conserventur, perpetuum inter ea instituit prælium? Hæc interrogati nihil est quod facere possimus, nisi ut conjecturas istas nihilo magis probatas esse confiteamur. *commentis*, quo nomine ipse vocavit, peripateticis.

Accidit ut plures sententiæ, quibus velut fundamento nitatur tota Telesianæ philosophiæ ratio, acriter secum pugnent. Etenim præter hæc duo principia, quibus mundus explicatur, tertium quoque assumitur, substratum corporeum sive materia. Ad hominis autem naturam explanandam, aliud: anima immaterialis, a Deo creata, corpori indita, forma spiritus humani, fons motuum, affectuum, cogitationum. Ultimo loco, animo quasi suæ spontis atque immortali posito, una modo statuitur notionum origo, sensus et passiva percipiendi facultas.

Quæ quum ita se habeant, omni laude cumulandus Telesius, qui philosophos hortatus sit ad naturam rerum simpliciter et candide observandam, ducem magistramque hominum vere sapientium. Sed ipse, doctrinæ suæ desertor, ex experientiæ schola facessit et a vitæ usu deficit. Sæpius quidem in contemplando mundo et in corporibus veluti

dissecandis versatur diligentissime et rationem certam sequitur; at non satis attenta cogitatione animi vires legesque explorat. Unde mendæ in ethica ejus, cujus fundamentum esse voluit sui ipsius conservationem.

Denique proprius ad Aristotelem accedit Telesius quam putat ipse, et verbis magis quam re atque indagandi ratione eum impugnat [1].

[1] Vide BACONEM *De principiis atque originibus, — sive de Parmenidis et Telesii et præcipue Democriti philosophia.*

DISCIPULI.

Parvulus est numerus adversariorum Telesii adeo illustrium, ut eorum nomina memoriæ prodita sint. Trium etiam nunc mentionem facit historia, Martæ, Chiocci et Freyi.

Jacobus Antonius Marta, Neapolitanus, professor Patavinus, homo doctus sed non minus asper et durus[1], Telesium agressus est libro, cui texendo undecim annos insumsit, et nomen dedit *Pugnaculum Aristotelis*[2].

[1] Vide *Diction. des sciences philos.* (apud Hachette, 1849), s. v. *Marta*.

[2] Vide Jan. Nic. Erythræum (Vitt. Rossi) in *Pinacotheca*, l. I, p. 41, ed. Lips.— Papadopolus autem hæc habet (*hist. gymn. Patav.* t. I, p. 268, sq.): « Patavii Marta jus canonicum ab anno MDCXI professus, anno MDCXVIII ad alteram juris civilis exedram transiit, mortuus Patavii sive Venetiis an• MDCXXIII. Vir in praxi juris doctissimus, peritissimus forensium judiciorum, et scriptor in jure eruditionis immensæ; sed et audax, et sententiarum suarum usque ad insaniam tenax, lutulentæ locutionis ac stili plane subrustici ac mendosi. Doctorem se semper eo fidentius inscripsit, quod sua se auctoritate ipse doctorem renunciasset, atque alios ad insignia doctoris deduxerit, quibus ipse carebat. »

Andreas Chioccus, philosophus et medicus Veronensis, imprimis opere *de Collegii Veronensis medicis ac philosophis* clarus, haud principia quidem quibus Telesii placita nituntur, sed unam *de venis, nervis atque arteriis* sententiam impugnavit[1].

Janus Cæcilius Frey, medicus Parisiensis, Telesium quoque impetit in libro suo cui hunc indicem præfixit *Cribrum philosophicum*.

Permulti contra fuere defensores ac propugnatores Consentini[2]. Horum clarissimus erat Thômas Campanella Stylensis, cujus in corpus Telesii ingenium transmigrasse dicebatur[3]. Etenim et ore et calamo doctrinam consentinam tuitus est. Idem non modo elegeia Telesii mortem deflevit, sed etiam, viginti annos natus, intra menses undecim octo

[1] Quæ sententia proposita est in opusculo: *Quod animal universum*, etc.

[2] Citatur etiam *Solinus Antonius Mantuanus*, medicus ac philosophus, falso sub nomine. Is fertur *Apologiam in Telesium* scripsisse, quæ tamen nunquam videtur in lucem prodiisse.

[3] Erythræus (*Pinacotheca*, I, p. 41) narrat Campanellæ juvenis in philosophia magistrum a monachis consentinis invitatum, ut interesset eruditæ cuidam disceptationi publice ab iis instituendæ. Quum autem, nec opinato valetudine impeditus, illuc venire non posset, Campanellæ eum provinciam hanc suam detulisse, quippe quem præstare reliquis doctrina atque ingenio cognovisset. Neque meliorem facile quempiam deligi potuisse eventu intellectum esse. Magistri enim sui partes in ipsa de philosophia disceptatione adeo feliciter atque perfecte egisse Campanellam; et, quum forte de Telesianis quibusdam scitis tum disputaretur, adeo strenue Telesii sententiam, cujus antea ne nomen quidem sibi cognitum fuisse affirmaret, tuitum esse, ut multiplex ei daretur ab omnibus qui adessent plausus, uno quasi ore profitentibus: mirabili aliqua μετεμψυχώσει Telesii ingenium in Campanellæ corpus transiisse.

disputationes ad J. A. Martam refellendum conscripsit[1]. Biennio post confutavit Chioccum quoque[2].

Hoc opusculum quod adversus Chioccum scripserat, Campanella Romam misit Antonio Persio. Hujus nomen ac famam in memoriam nostram reducunt duo præclare facta. Nam dum admodum juvenis eximia celebritate Perusiæ philosophiam ex placitis Telesii publice docebat, in consilio quodam generali fratrum ordinis S. Francisci, controversiam acerrimam habuit cum Felice Peretti, qui postea nomen Sixti Quinti ascivit[3]. Idem excurso prope vitæ curriculo Patavium se contulit, ut MM thesium asseveraret, et per plures dies contra Aristotelem ejusque asseclas defenderet. At res secus cecidit, nam urbis in qua florebat hæc academia incolæ tolerare noluerunt ingentem audaciam, et obmutescere coëgerunt[4]. Cæterum, omne genus artium consultissimus, collegii quod nomen tulit *de' Lincei* sodalis, amicitiæ vinculo, si tamen hoc nomine tali

Antonio Sr

[1] Vide « F. Thomæ Campanellæ. . . . philosophia sensibus demonstrata et in octo disputationes distincta : adversus eos qui proprio arbitratu, non autem sensatâ duce naturâ, philosophati sunt. Ubi errores Aristotelis et asseclarum ex propriis dictis et naturæ decretis convincuntur, et singulæ imaginationes pro ea à Peripateticis fictæ prorsus rejiciuntur, cum verâ defensione Bernardini Telesii, Consentini, philosophorum maximi. » etc., etc. Neapoli, MDXCI, in-4°.

[2] Vide Campanella, *De libris propriis*, c. I.

[3] Vide Leop. Ranke, *Histor. pontific. rom.* T. II, p. 258, vers. gall.

[4] Vide Barthelemy Saint-Hilaire, *De la logique d'Aristote*, T. II, p. 257 sq.

in re uti licet, academiam Consentinam romanamque copulavit[1]. Auctor est Persius octo decim librorum *de recta ratione philosophandi*, ad Telesii mentem scriptorum.

Campanellæ Persioque adjungendus est Franciscus Patritius Illyricus. Is tantum quidem aberat ut omnibus Telesii sententiis staret, ut quæ in illius principiis ei dubia aut falsa videbantur, Telesio, cui ætate suppar erat, indicaverit. Cujus argumenta tanti censuit Consentinus, ut ex iis scripta sua posteriora emendaverit[2]. Ipse vero Patritius adoptavit in *Nova* sua *de universis philosophia* eadem quæ Telesius posuit, principia, ita tamen ut tria adderet, lucem, spatium atque fluorem[3].

Tres viri, de quibus diximus, e Telesii sectatorum turba eminuerunt, ipsi quoque *juxta propria principia* philosophantes. Academiæ contra Telesianæ socii, intra fines verbis magistri descriptos se con-

[1] Vide Niceron, *Mémoires des hommes illustres*, T. XXX, p. 108 sqq.

[2] Ipse Persius (ad Patritium, *syntagmate Telesiano, dedic.*) «Cum multa, inquit, in iis offenderes, quæ, veluti Democritea, Delio quopiam natatore indigerent, me identidem, tanquam in eorum lectione diutius versatum, ac Telesii familiarem, consulebas. Ego objicientium sese dubitationum scrupulos eximebam quod poteram. Ita ad calcem operis quum legendo pervenisses, tam honorifice de eo loqui cœpisti, ut ipsum veteribus philosophis anteferres. Scripsisti quoque à me rogatus in eam philosophiam dubitationes tuas non nullas, quas ad Telesium transmisi. Ex eo candidissimus philosophus quanti tuum faceret judicium haud obscure significavit, quum deinceps sua scripta ad tuum sensum exigere non sit gravatus. »

[3] Vide Morhofii *Polyhistor*. T. II, l. I, c. xiii.— Patritius Telesium *divinum virum ingenio* nuncupat, (*Pancosmia*, l. XVI, p. 100. Cf. l. XXIV, p. 127, l. XXXII, p. 152.)

tinebant, Aristotelis de physica doctrinam eodem quo Telesius modo impugnare pergentes, et singulas Telesii sententias ita tractantes, ut nunc, quæ deesse viderentur, adderent, nunc ab ipso jam magistro proposita oratione perpolirent et plurimis modis notitiæ hominum traderent. Optime attamen rerum naturalium de studio sunt meriti; et præceptis, et exemplis, artem arcana mundi, et consilium quod secutus est ejus auctor, libere introspiciendi confirmantes.

Academia hæc, quæ ultra sæculum duravit, duas vidit ætates valde sibi dispares. Priore, vigente mortui jam conditoris ingenio, eloquentiæ et poesi sapientiæ amorem et usum adjungebant. Posteriore, prævalente auctoritate societatis Jesu, ex academia ejecta est philosophia: theologia, aliis doctrinis in exilium actis, regnavit sola. Nihilo tamen minus notatione dignum, in omnibus hujus academiæ scriptis, quæ quidem ad philosophiam pertinent, quæque secundo temporis spatio rariora fuisse diximus, agnosci Telesii mentem et principia. Priore ætate floruerunt[1] Sertorius Quattromani, Paulus

[1] Digni qui hic nominentur etiam sunt: Jo. Ja. Tonialus, Aloysius Cornelius, Jo. Michaelius, Bened. Georgius, Federicus Pendasius, Hieronymus Mercurialis, et ille Patavinarum musarum Mæcenas, Jo. Vinc. Pinellus, cui Persius scripsit hæc: « Collocuti autem præter cætera sæpe sumus de Telesinâ philosophiâ, quam etsi longissime à peripateticâ abhorrentem, sic tamen laudas, ut admirandum esse auctorem ejus ingenuè fatearis. » (*Quod animal universum*, epist. dedic. 1590. Venet.)

Aquinas, Franciscus Muti, Fabius Cicala, Guilielmus Cavalcanti, Fabricius della Valle, fratres Firræi, Cosmus Morellus, multique alii. Secundam illustravere meditationibus suis viri perpauci; quo justius est magna cum laude pronuntiare nomina Vinc. Viæ, Thom. Cornelii, Fr. Ant. Piri.

Sertorius Quattromani, natus Consentiæ anno MDXLI, familia antiquissima, bonis artibus Romæ studuit, ibique inter elegantioris doctrinæ viros præmaturam famam adeptus est. Postea Neapoli vixit multa cum Caraffis consuetudine vinctus; denique secessit Consentiam ubi, academiæ sociis sicut alter parens observatus, anno Christi MDCV fatis functus est[1]. In æstimandis aliorum libris acerrimo et subtilissimo judicio utens, ac severior fortasse quam par esset, multorum hominum doctorum animos a se abalienavit. Ipse in intimam Telesii amicitiam pervenerat, ejusque placita, facilius sic divulgaturus, in breviarium contracta, italice scriptum, exposuerat[2].

Paulus Aquinas, alterum ejusdem academiæ lumen, poeta simul et historiæ naturalis scriptor, longe lateque Telesii doctrinas sparsit, imprimis nobilissima oratione in patroni funere habita[3].

[1] « Phœnix litterarum sui temporis, nulli in omnigena eruditione secundus. » EL. DE AMATO, *Pantopol. calabr.* p. 120.

[2] *La filosofia del Telesio ristretta in brevità dal Montano, Academico Cosentino.* Napoi. 1589.

[3] Orationis hujus prima verba hic apponere juvat: « *Come potrò io mo-*

Fabium Cicalam physicam atque physiologiam secundum eadem principia excoluisse, constat dissertatione docta quæ inscripta est: *De generationibus falsis et de somniis Aristotelicis*[1].

Guilielmi opusculis Cavalcanti, poetæ elegantis et suavis, manifestum est etiam eum Telesianæ philosophiæ prorsus fuisse addictum. Cujus rei fidem faciunt vel carmina spinis hirsuta, quibus quæ Telesius latina lingua tractaverat, patrio sermone persecutus est[2].

Franciscus Muti, familiaris Patritii et Campanellæ non secus ac Persii, Telesium, Aristotelem vehementer insectando potius quam rerum naturam explorando, imitatus est[3]. Longum gessit bellum et cum Jacobo Mazzoni, uno ex nobilioribus Dantii enarratoribus[4], et cum Theodoro Angelutio, Patavii philosophiam medicinamque profitente. Aristotelis ethicam tuebatur Mazzoni, physicam Angelutius. Non Telesium modo, sed etiam Patritium Muti defendit contra eumdem Angelutium libro peculiari,

strare il grandissimo dolore che sento nell'animo? Come potrò esprimere i richiusi concetti del mio cuore? »

1 « *Di un Telesio, e Morel, d'un Cavalcanti*
« *Fia sempre illustre e glorioso il grido:*
« *Un Cicala, un Aquino, un Quattromani,*
« *Saranno per virtù chiari e sovrani.* »
(Gierusalemme perduta.)

2 Vide S. Quattromani, *Opere*, l. II, ep. 54.

3 Vide Muti *Disceptationes advers. Aristot.*, 1588, ep. dedic. ad Telesium. — Cf. *Dictionnaire philos.* (apud Hachette), s. v. *Muti.*

4 Vide *Diction. des sciences philos.*, s. v. *Mazzoni.*

tam erudito, tamque firmis argumentis vallato, ut a Baylio ipsi Patritio adscriptus sit.

Vincentius Via, Minimorum qui dicuntur provincialis, discipulus fuit Campanellæ, ac disserendi artis valde gnarus. Libro *de carnium abstinentia*, infestissime ab hominibus societati Jesu addictis, imprimis a Lannovio, impugnato, Pythagoræ et Christi præcepta conflavit.

Etiam Pirus sese nobilitavit, sed theologia potius quam philosophia. Nam quæstiones *de affectuum origine*[1] ad philosophiam pertinent, atque quum aliis, tum Muratorio[2] magnopere videntur profuisse. Sed præcipuum ejus opus *de mali orig'ne* inscriptum est. Medio decimo octavo sæculo in lucem prolatum, non tantum in pyrrhonios et manichæos, sed etiam in Baylium, Jansenium atque Calvinum intentum fuit[3].

Quo tempore natus est Pirus, id est, anno Christi MDCLXXXIII, eo mortuus est Thomas Cornelius, genuinorum academiæ Consentinæ sodalium ultimus. Is, Florentiæ a Toricello, Bononiæ a Cavaliero eruditus; Neapoli collegio *degl' Investiganti* aggrega

[1] *Riflessioni intorno l'origine delle passioni*, 1739.

[2] Vide *Dict. philos.*, s. v. *Muratori.*

[3] *Dell'origine del male*. De malis ac doloribus ita loquitur, p. 78 : « *Servono a far risplendere e a rendere operatrice la virtù, che è l'Ottimo delle cose create, l'obbietto della Divina Compiacenza, e cagione per cui li mali stessi non sono mali, ma beni.* »

lus, artem medendi atque mathematicas disciplinas per triginta annos docuit, usque telis scholasticorum et galenistarum objectus. Propter inventa aliquot, de impietate deque hæresibus pluribus est argutus. Idem fuit inter eos qui id egerunt ut civium oculos in Cartesii placita, nuper prolata, converterent. Nemo tamen studiosius quam Cornelius, nec gratiore animo Telesii famam æqualium et posterorum memoriæ commendavit. « Exortus est, inquit[1], patrum nostrorum memoria, Bernardinus Telesius, coterraneus noster, acerrimo vir ingenio, qui philosophica fretus libertate veteres philosophos, unumque omnium sermone celebratissimum Aristotelem, vehementer exercuit : ac ægre ferens naturæ rationem non jam ex ipsa Universitate, sed ex Aristotelis voluminibus accersiri solitam, ad impugnanda illius placita paulo severior, ne dicam inique, est agressus. Interea dum aliorum fundamenta evertisse sibi visus est, nova induxit rerum principia. »

Hæc sententia, non minus poeta quam physico digna, longe præstabilior nobis videtur elogiis a Marino, Ronconio Sollaque conditis, et persæpe ab historiæ philosophorum scriptoribus descriptis[2].

[1] *Progymnasmata physica*, II, p. 92.
[2] Vide Spiriti, *Memorie degli Scrittori Cosentini*, s. v. *B. Telesio.*

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. IV
id. jun. ann. M DCCC XLIX,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,
J. Vict. Le Clerc.

Typis mandetur,

Rousselle,
Rectoris vices gerens.

INDEX.